

susceptionem gratiæ, ita ut voluntaria hæc susceptio indicet causalitatem formalem in actu *N.* ut significet dispositionem requisitam in adultis, quod nimirum suæ justificationi consentiant *C.* Doctrina ista Patrum cohæret cum iis, quæ cap. 5. dixerant: adultos ad sui conversionem divinitus excitatos et adjutos, ad suam ipsorum justificationem eidem gratiæ libere assentiendo et cooperando disponi; ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, etc. Et cap. 6. idem Concilium ait, disponi eos ad justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti, libere moventur in Deum, credentes, timentes, sperantes, diligentes, poenitentes, etc.; quæ infra can. 4. repetuntur. Agit scilicet Concilium contra errorem Lutheri, qui in digressionem libri, Operationes in Psalmos inscripti, error, inquit, est, quod liberum arbitrium habeat aliquam activitatem in bono opere, quando de interno opere loquimur. Tum addit: Velle illud, quod credere, sperare, diligere diximus... semper est passio. Ut in luto, quando forma ei affingitur, mera passio est. Adducit autem testimonium Jerem. 18. v. 6. Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea. Calvinus item L. 2. Instit. c. 3. §. 7. et 11. et L. 3. §. 6. contra Pighium, et in Antidoto Sess. 6. Conc. Trident. et Kemnitius ad eandem Sess. 6. alique hæretici docent, voluntatem nostram in bonis operibus sic agi a Deo, ut non possit non agere, et quamvis ipsa producat actum, concurrere tamen tantum ut merum instrumentum Dei naturale, non vero ut causam liberam et dominam sui actus.

Inst. Concilium Trident. nomine dispositionis, Sess. 6. cap. 6. et alibi, intelligit tantum caritatem inchoatam et imperfectam, quæ in sacramento ad accipiendam gratiam disponit.

R. N. Assertum. Sess. 14. c. 4. dum ait, modum hunc contritionis quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum necessarium fuisse, procul dubio de contritione perfecta loquitur, ac statim subjungit, contritionem istam præparare ad remissionem peccatorum: igitur peccatorum remissio non est effectus formalis contritionis; actus enim non impetrat effectum suum formalem, sed per sese confert illum.

57. *Obj. II.* Peccatum includit actum vel moralem habitudinem ad illum; ergo formalis causa expellens illud, debet actum oppositum, id est, actum poenitentiae includere.

R. N. Cons. In peccato habituali, ut diximus, est macula, offensa, injuria, reatus. Macula prout est privatio gratiæ, non nisi per formam istam realem tolli potest. Quia autem actus poenitentiae non est tam efficax ad reparandam injuriam satisfaciendo, sicut fuit peccatum ad offendendum Deum, propter dignitatem personæ offensæ; ideo necesse est, ut Deus offensam et injuriam gratis remittat; ergo nihil in peccato habituali restat, quod per actum poenitentiae formaliter possit expelli.

Inst. 1. Dictum est supra num. 14. a malitia actus peccati duplicem in anima relinqui maculam, quarum prior sit privatio nitoris naturalis animæ, adhuc aversæ a Deo ob peccatum nondum retractatum. Atqui macula ista formaliter tollitur per contritionis actum; sicut enim albedo et nigredo sunt formæ repugnantes, ita aversio et conversio; per contritionem autem convertimur ad Deum; ergo non manemus ab eo aversi. Neque dici

potest, a contritione maculam hanc expelli dispositive: eadem enim forma non potest respectu sui esse dispositio; ergo contritio saltem partialiter in genere causæ formalis concurrat ad remissionem peccati et ad justificationem.

R. D. probat. Assumpt. Conversio ad Deum per contritionem est forma aversioni repugnans prout hæc est actus et spectatur in ratione liberi *C.* repugnans aversioni prout hæc est proprie peccatum habituale, et residua in peccatore macula, injuria, et offensa Dei *N.* et eodem modo distincta consecutione prima, alteram absolute nego. Remissio peccati non potest esse actus peccatoris offendentis. In macula enim peccati duo spectantur, alterum physicum, quod privatio gratiæ est; alterum morale, seu respectus ad peccatum præteritum, quod moraliter permanet, donec remittatur: cujus remissionis tantum impetratio, exoratio, et quaecumque meritum est poenitentiae actus.

Inst. 2. Per amorem homo formaliter adæquatur primæ regulæ; ergo per illum est formaliter justus et sanctus.

R. D. Ant. Adæquatur formaliter primæ regulæ adæquatione actuali et quoad actum præsentem *C.* adæquatione habituali, et quoad effectus ab actu præterito relictos *N.* Licet caritas formaliter tollat aversionem actualem, non tamen tollit aversionem habitualement, qua homo ob actum peccati præteriti caret habitu gratiæ et caritatis, Deoque invisus est. Nec enim amor quo homo in Deum fertur, est amor, quo Deus hominem vicissim complectitur, sed tantum ad hunc dispositio est et impetratio.

58. *Obj. cont.* 2^{am}. *concl.* Si contritio efficit, et meretur justificationem; ergo non justificamur gratis, contra quod S. Paulus Rom. 3. v. 24. docet.

R. D. seq. Si contritio ex merito condigno efficit justificationem, non justificamur gratis *T.* si contritio efficit justificationem ex merito congruo, non justificamur gratis *N.* In peccato est macula, injuria, offensa. Macula est aversio a Deo, et privatio gratiæ: converti autem ad Deum non possumus sine præveniente et adjuvante Dei gratia. At licet cum gratiæ auxilio ad Deum convertamur, hæc tamen conversio pro injuria non satisfacit; igitur nec offensam tollit, nec infusionem gratiæ meretur. Sicut ergo maculæ prioris abstersio a Dei gratia pendet: ita et injuriæ remissio et condonatio offensæ; neque enim effectus isti actui contritionis ex justitia debentur; eo quod hæc justificationem præcedat, quam meritum condignum et simpliciter tale demum subsequitur, ut scribit B. Augustinus in Psalm. 110. L. de fide et operib. c. 14. et alias. Hinc Tridentinum Sess. 6. cap. 8. tradit hominem justificari gratis: meritum enim ex justitia opponitur gratiæ, non autem meritum de congruo, quod non in justitia, sed in liberalitate fundatur.

ARTICULUS V.

QUOMODO PECCATA VENIALIA PER POENITENTIAM TOLLANTUR?

59. *Dico I.* Perfecta contritio sola ex opere operantis tollit omnia peccata venialia, ad quæ ex motivo suo saltem virtualiter extenditur.

Prob. 1^a. *pars*, quæ est communis omnium. Si contritio perfecta tollit

omnia mortalia, ad quæ ex motivo suo virtualiter extenditur, quanto magis delebit venialia.

Prob. etiam 2^a. pars, quod peccata venialia extra usum sacramenti non tollantur contritione imperfecta, aut actibus virtutum aliarum. Si attritio ex se sufficit ad tollenda venialia; ergo hæc nunquam remittuntur per sacramenta poenitentiae, baptismi aut unctionis extremæ; quia horum usum dignum semper anteit attritio; ergo sacramentum poenitentiae ne secundario quidem institutum esset propter remissionem peccatorum venialium, cum hæc esset effectus, quem præsumit semper prius acquisitum: quod videtur repugnare Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 5. Deinde inutilis esset confessio venialium peccatorum: neque enim certior sum de veritate sacramenti, quam de conceptæ attritionis veritate sum certus. Præterea absurdum omnino videtur esse, quod a Deo medicina fuerit instituta, quæ supponit semper ante sui usum morbum jam sanatum.

Denique sicut attritio venialium opponitur peccatis venialibus, ita retractatio mortalium mortalibus; ergo si illa delet venialia, etiam hæc delebit mortalia. Sicut ergo attritioni de mortalibus, horum remissio non est promissa: ita neque attritioni de venialibus a S. Scriptura promissa ostendi potest remissio venialium. Ita Vasquez, Becanus et alii contra Suaresium, Lugonem et alios complures.

60. *Dico II.* Peccata venialia ex opere operato absterguntur non tantum a sacramentis Poenitentiae, Baptismi et Uctionis extremæ, sed etiam a quatuor reliquis, modo attritio aliqua non desit. Est sententia communis.

Partem primam omnino fide tenendam esse affirmat Vasquesius: in eum enim finem tria illa sacramenta instituta sunt, idemque effectus significatur per verba, *absolvo te, etc. baptizo te, etc. indulgeat tibi Deus, etc.*

Pars altera etiam probabilior esse videtur, quam cum S. Thoma q. 87. a. 3. in 9. passim amplectuntur Theologi. Certum enim est, quod hunc effectum habeat Eucharistiæ sacramentum, quippe quod a Tridentino Concilio Sess. 13. cap. 2. dicitur datum esse *tanquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis*. Ergo etiam tribui potest cæteris sacramentis vivorum, quæ, sublato obice, peccatum quoque mortale extinguunt; neque enim minore pollent virtute, tanquam actiones ipsius Christi, quam contritio, actio solius hominis gratiæ divinæ auxiliis excitati et adjuti.

61. *Obj. I. cont. 1^{am}. concl.* Sicut unum est motivum fidei, ita et caritatis; ergo sicut unum credens articulum, cæteros omnes implicite credit ex motivo fidei; ita etiam detestans peccatum mortale ex motivo caritatis, ex eodem motivo necessario detestatur etiam venialia peccata; et consequenter remisso peccato mortali, remittuntur etiam semper omnia peccata venialia: quod videtur adversari iis, quæ supra num. 29. ad Inst. 4. diximus.

R. N. paritatem Ant. Fides non habet motivum, nisi unicam Dei loquentis auctoritatem: e contra licet caritatis motivum formale ultimum sit tota Dei infinita bonitas, quæ specie infima est unica, proximum tamen secundum rationem multiplex esse potest, videlicet perfectiones omnes, propter quas Deus amore dignus est, v. g. detestor peccatum mortale ex amore in Deum ut amicum, ut finem ultimum, etc.; quæ motiva ad peccatum veniale non

porriguntur, quæ nec amicitia divina solvitur, nec homo a fine ultimo excidit. Quod si de peccatis doleas, eo quod Deo summo bono displicueris per illa, etiam venialia dolore eodem comprehendis.

62. *Obj. II.* Si sola contritio perfecta delet ex opere operantis peccatum veniale, ergo plus ad hujus destructionem requiritur, quam ad expulsionem peccati mortalis: nam motivum contritionis, quod se ad venialia peccata extendit, perfectius est.

R. D. Illat. Plus requiritur ad veniale destruendum ex opere operantis *T.* ad illud destruendum simpliciter *N.* Contritio perfecta, qua peccatum veniale destruitur, non involvit votum illius sacramenti. Nec refert, quod contritio de venialibus perfectior sit ex suo motivo: nam et attritio de eis concepta perfectior ex motivo suo est, quam attritio, qua lethalia peccata detestamur. Nec adversatur nobis, quod Concilium Tridentinum Sess. 14. c. 5. doceat, peccatum veniale non sacramento solum Poenitentiae, sed multis adhuc aliis modis expiari posse: hoc enim contingit et per contritionem ex opere operantis, et per attritionem cuilibet sacramento vivorum adjunctam.

Inst. 1. Sicut voluntas peccati mortalis sufficienter per contritionem retractatur: ita voluntas venialis peccati retractatur per attritionem; ergo si sola contritio tollit mortale peccatum, sola attritio tollet veniale.

R. N. Ant. Voluntas ita mutanda est, ut restituatur in statum pristinum: cum ergo per veniale aliquo modo offendatur Deus, nisi tollatur offensa, non potest veniale tolli; offensa autem contritione sola tollitur: nam attritione homo se non convertit ad Deum, sed ad poenam vel ignominiam. Vide S. Thomam q. 87. a. 1. ad 2. ubi ostendit, ad delendum veniale peccatum non requiri actum formalem poenitentiae, requiri tamen virtualemente quamdam peccati displicentiam per motum caritatis, qui continet virtualiter detestationem venialis, nimirum tunc, quando quis ita diligit Deum, ut si illi occurreret memoria peccati venialis, illud detestaretur ob Deum: talis enim actus constituit hominem contrarium peccato veniali. Quod si actus dilectionis esset tam insignis, quo quis statim detestaretur quodcumque veniale, si occurreret, deleteret omnia simul.

Inst. 2. Opus bonum hominis justi magis Deo placet, quam peccatum veniale ejusdem displicuit; ergo si augmentum gratiæ Dei mereri potest, etiam remissionem peccati venialis obtinere poterit.

R. C. Ant. D. Cons. Potest etiam remissionem peccati venialis obtinere immediate et proxime *N.* mediate et remote *C.* Qui mereri potest finem, potest et media ad ipsum necessaria mereri, nisi quid aliud obstet, ut inquit S. Thomas 1. 2. q. 114. a. 10. Justus autem potest de condigno mereri vitam æternam; ergo etiam necessaria ad illam media, quorum unum est peccatorum venialium remissio: videlicet per attritionem vel alios virtutum actus meretur auxilium gratiæ, quo ad contritionem de venialibus excitetur.

63. *Obj. III. cont. 2^{am}. concl.* Si quolibet sacramento dimittuntur omnia venialia, ergo inutile est confiteri venialia: nam si vel mortalia tantum confitearis, aut unum veniale, aut Eucharistiam suscipias, æque omnia venialia dimittuntur ac singula, ac si singula quæque confessus esses.

R. N. *Illat.* Si actus aliquis dilectionis perfectæ ita potest esse comparatus, ut aliqua tantum peccata venialia detestaretur, si occurrerent, non vero omnia, et consequenter non deleret omnia: quanto magis actus attritionis sacramento præmissus ad aliqua tantum peccata sese potest extendere! quo in casu sacramentum tantum illa remitteret peccata venialia, quæ per actum attritionis retractata fuerint. Deinde cum thesis quoad alteram partem adeo certa non sit, tutius agetur confessione singulorum. Ex dictis

64. *Collige* 1°. Merito S. Thomas vim remittendi peccata venialia non tantum contritioni, sed etiam ferventibus caritatis actibus tribuit q. 79. a. 4. ad 1. et q. 87. a. 1. ad 3.; nam licet peccata venialia caritati quoad habitum non repugnent, ei tamen adversantur secundum actus fervorem, qui peccatorum venialium detestationem virtute contineat.

2°. Tametsi peccata venialia nunquam deleantur sine infusa gratia, quam contritio, caritas aut sacramentum efficiat: formalem tamen suæ desitionis causam aliam non habent, quam Dei condonationem extrinsecam; eo quod non sint incompossibilia cum pœnitentia, caritate, sacramento, et habitu gratiæ sanctificantis. Ita S. Thomas q. 87. a. 2.

3°. Sacramentalia dicuntur actiones piæ, quæ communitè adscribitur vis remittendi peccata venialia. Comprehenduntur hoc versu: *Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens*, h. e. Oratio Dominica, Aqua benedicta, Panis benedictus, Confessio generalis, Eleemosyna, Episcopi vel Abbatis consecrati benedictio. Quibus adhuc tria adduntur, scilicet Oratio in Ecclesia consecrata, Tussio pectoris, et Unctio sacra ceremonialis: sed duo priora ad orationem, tertium ad tinctionem reduci possunt.

Horum signorum aliqua etsi Deus proxime instituit, aliqua Ecclesiæ pastores: Deus tamen voluit ipsis vim indere expellendi peccatum veniale ex opere operato; Ecclesia vero id non potuit. Ita S. Thomas hic art. 3. et in 4. d. 16. q. 2. a. 2. quæstiunc. 4. et d. 21. q. 2. a. 1. Alexander, S. Bonaventura, Durandus, Richardus et veteres, contra Franciscum de Victoria, Sotum utrumque, Canum L. 12. de locis cap. 23. ad 9., et recentiores quosdam, qui ceremoniis hisce effectum tribuunt ex opere operato ad modum sacramentorum, si non inveniunt complacentiam contrariam, et homo vel pia actione, vel alio modo religiose illis utatur.

Remote tamen ad peccatorum venialium remissionem conducunt duplici de causa: nam imprimis si rite usurpentur, excitant in nobis pios motus pœnitentiæ vel reverentiæ in Deum et res sacras, quæ nobis occasio præbetur de peccatis, ut par est, dolendi. Ita S. Thomas art. 3. citato nuper. Deinde ad eandem exilium peccatorum veniam disponunt per modum impetrationis, non quidem proxime, sed prout juxta promissa divina, vel ad preces Ecclesiæ, ritus hosce adhibentibus gratiæ ad contritionem excitantes dispensantur.

Verum effectus isti non sunt adeo certi, partim defectu particularis promissionis divinæ, partim ex oscitantia utentium ceremoniis iis, partim etiam quod preces pro aliis fusæ non semper sint efficaces. Certius tamen signa illa et ritus movent ad pœnitentiam, quam piæ imagines, conaciones, etc. quæ non ut Sacramentalia ab Ecclesia proponuntur.

4°. Culpas veniales residuas post hanc vitam justis remitti consentiunt

SS. Patres, ex illo 1. Cor. 3. v. 12.: qui peccata venialia, indicata per *ligna, fœnum, stipulam superædificat... ipse salvus erit; sic tamen quasi per ignem.* Ita S. AUGUSTINUS Enchirid. c. 69., et L. 21. de Civit. c. 26., et L. de Fide et operib. c. 15., et de vera et falsa Pœnit. c. 18. Et refertur dist. 23. can. penult. et in can. *Qualis*; refertur eadem sententia ex B. GREGORIO L. 4. Dialog. c. 39. (opp. t. 3. p. 444. B.) qui eam colligit ex illo Matth. 12. v. 32. *Non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro*: nam inde infert, aliqua peccata remitti in futuro seculo: Non mortalia, inquit, sed venialia, quæ remittuntur in purgatorio. Quod necessario quoad culpam intelligitur: nam quoad pœnam dimissa culpa restantem, etiam mortalia ibidem remittuntur.

Absterguntur autem culpæ illæ veniales primo momento, quo anima corpore soluta est: tunc enim est omnino expedita ad cognoscendum optime statum suum, et ad cognoscendum perfecte et amandum Deum, et ad detestandum peccatum veniale; et cum habeat auxilium Dei efficacissimum, pro mensura suæ gratiæ sine mora perfectissime operatur. Ita S. Thomas q. 7. de Malo a. 11., Abulensis Matth. 23. q. 723., Richardus, Paludanus, Durandus, Major, Almainus dist. 21., Suaresius disp. 9. sect. 4. n. 13. contra S. Bonaventuram, Carthusianum, Dom. Sotum, et alios opinantes, id fieri toto tempore, quo durat pœna purgatorii. Neque horum opinio ex nuper laudatis Patrum testimoniis firmatur; nam a primo illo momento anima incipit purgari intrinsece a venialibus peccatis, ita ut vere dicantur remitti in purgatorio: præsertim quia plena remissio et quoad culpas et quoad pœnas non consummatur eo instanti, sed per purgatorium ignem.

ARTICULUS VI.

UTRUM MERITA PECCATO MORTIFICATA PER POENITENTIAM REVIVISCANT?

65. *Nota I.* Actio *effective mortua* seu *lethifera* est peccatum mortale, quia mortem animæ creat. Actiones *formaliter mortuæ* sunt actus virtutum supernaturalium in statu peccati lethalis exerciti, ac proinde nullum jus ad æternam gloriam tribuentes. Actiones *vivæ* dicuntur eadem actiones bonæ supernaturales, quæ in statu gratiæ fiunt, et jus ad gloriam auctori suo conferunt. Actiones istæ viventes, a peccato lethali superveniente dicuntur *mortificari*, et ita impediri ab effectu suo præstando, ut homini nullum jus ad gloriam tribuant, dum is in peccato perseverat.

De hisce operibus bonis disputatur, an peccato mortali omnino moriantur et usque adeo extinguantur, ut nunquam deinceps ad præmium supernaturale reviviscant; an vero tantum mortificentur peccato lethali, et quasi consopiantur, ita ut, resuscitata per pœnitentiam et justificationis gratiam anima, ipsa quoque priora opera reviviscant, et vim priorem exserant?

Nota II. Cum Catholici omnes unanimiter consentiant, merita peccato mortificata reviviscere, ut ostendit Suaresius in opusculis, Relectione 2., quoad modum tamen doctrinam istam explicandi, Scholastici Doctores multum inter se dissident. *Prima* opinio fert, pœnitenti ex meritis præce-